Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

tum alter interpretandum et ad meam iniuriam retorquendum
putarunt. Sed hos ut potero tue sanctitatis invidos. minus
deinceps gratos habebo. et nullius decetero contra accusati
one me auditurum deo volente promitto. Tu ut actenus
fecisti dei semper operare voluntatem. et simul nobis devotus
et fidelis pro nostri statu imperii orare memento. Ita invi
dia quam liudi sancto viro apud regem facere parabant.
ad eius magis apud eum gratiam et gloriam profecit. O quam imita
bile vel in sacerdote sacerdotibus. vel in rege regibus exemplum.
Discant in sacerdote sacerdotes. regibus deferre non cedere. dis
cant ita illis obsequi ut divinum servitium non
negent. Discant in rege reges. neminem suum officium exe
quenti irasci. discant sacerdotibus dei precepta servantibus
non contraire. Sciant sacerdotes sic regibus honorem ex
hibere ut deum semper preponant. sciant reges ita homini
bus in mundialibus negociis esse prelatos. ut modis omnibus
deo in christiana religione subiciantur. Sacerdotes libere deter
minationis dei in conspectu regum loquantur et non confun
dantur. regibus in dei causa libertas placeat sacerdotum.
Cognoscant sacerdotes vicissim et reges sese vicissim esse
pro sue dignitatis officio esse subiectos. in divina religione
sacerdotibus reges in humanarum legum iure regibus sacerdotes.
Quam inter utrosque discretionem cum ratio ipsa doceat. tamen in
uno eodemque deo simul et homine ihesu christo apte con
probatur. qui utramque veram et sacerdotis et regis in se personam
gestavit. et hereditariam ad ipsos transmisit.

Itaque ut dicere cepimus beatus Liudgerus tumida super
borum cervicem sub iugo premens et laborantes et oneratos refici
ens illis se superiorem istis prebebat equalem. illos ad bona o
pera crebra ammonitione hortabatur. illos variis modis
sustentabat. Divites elemosinis peccata sua redimere
monebat. in pauperes tam largus erat. ut ipsos cum suorum
plerumque nuditate vestiret. Quicquid de substancia sua
in pauperes non distribuit. monasteriorum et ecclesiarum construc
tionibus impendit vel deputavit. Paternam hereditatem quam
satis amplam habuit. ad reliquias tradidit. quas ab apostolico
accepit. Ipsas loco qui Werdina appellatur eum com
parasse diximus. et fratribus in eo loco servituris pro patro
cinio delegavit. ita tamquam nichil habens et omnia pos
sidens cottidie morum probitate et meritorum sanctitate proficiebat.
cottidie de virtute in virtutem ibat. ut aliquando deum
deorum in syon videre mereretur.

Cumque omnipotens deus perhennem mercedem piis eius stu
diis reddere decrevisset. aliquanto ante obitum
suum tempore infirmitate corporis laborare cepit. Eo ipso
tempore diligendus christiane gratie diocesim suam circuiens
ad locum. qui billibeki vocatur. ubi ecclesiam habebat
venit. Ibi igitur ut diximus corporali molestia preventus. quanto
mundialibus negociis agendis invalidior. tanto in spirituali
exercitio et virtutum incrementis validior erat iuxta
illud pauli apostoli. Quando enim infirmor tunc fortior sum
et potens. Semper enim aut legebat aliquid aut psallebat semper
expansis ad deum manibus numquam animum ab oratione feria
tum esse permittebat. numquam cordis oculos a celestium rerum
contemplatione reflectebat. Et quia morbo ingravescente per se
legere non poterat. coram se legere divinos libros alios fa
ciebat. Missam tamen incredibili mentis vigore cottidie fere
in hac infirmitate celebravit. Crescebat paulatim morbus
per membra diffundebatur. Iam virtus omnis defecerat. iam do
lor vitalia pulsarat. cum tamen ipse omnino invictus dura
bat.

Dominica siquidem que sue dormitionis
noctem precessit immensa devotione in deum inestima
bili fidei fervore in duabus ecclesiis sermonem admodum congru
is publice predicavit. Mane primo in loco qui coasfeld appellatur.
canente missam presbitero hora tercia in loco ubi eum infirmatum
iacere diximus. Ubi etiam tunc ipse devote ultima missa
rum sollempnia celebravit. Quibus expletis circumstantibus omni
bus valefaciens et ad bona semper opera cohortans omnipotenti
deo eos commendavit. Post hec seorsum clericis qui secum
erant convocatis scitote inquit filioli me nocte subse
quenti de hoc mundo esse exiturum. Et inde nolite corpus
meum in hoc loco sepelire. sed ad monasterium quod in werdina fun
davi deferte et foris ecclesiam in parte eius orientali huma
te. Ibi quippe diem iudicii me expectaturum iam olim
domino revelante cognovi. Scio tamen omnino presulem ne illuc
differatur contradicturum. Vos tamen ad minimum ger[illegible]
densem ecclesiam deportantes inhumatum relinquite. do
nec ad fratrem meum cathalaunensis ecclesie episcopum hildigrimum
mittatur. et ipse cum rege agat quatenus eius imperio in memorato
loco sepeliatur. Quod ex hoc signo regem permissurum cognoscen
tis quia post mortem meam aliquantulum sanguinis ex naribus
meis profluxisse invenietis. Quantus tunc luctus omnium gemi
tus quantus planctus erat audita sui destitucione. audi
ta tanta patris desolatione. Ipse solus quamvis de eorum tristi
cia doleret de suorum tamen actuum retribucione securus gau
debat. et illos ut dei in hoc voluntatem equanimiter ferrent
ammonebat. Ita quod reliquum erat diei psalmis et orati
onibus cum his qui secum erant consummavit. Iamque nocte
ingruente sui exitus hora advenit. cum inter orationes et
psalmos qui hinc inde a circumstantibus dicebantur: sancta illa et
deo dilecta anima carne soluta est. Quis tunc se a lacrimis co
hibere. quis affectibus temperare quivit. cum talem tantumque sa
cerdotem de mundo exeuntem videret. Flebant qui ad
erant omnes. et suam potius destitucionem quam eius mortem